



LJUBLJANSKI

ŠKOFIJSKI LIST.

Saibacher Dioecesanblatt.



Vsebina: 30. Epistola encyclica de unitate Ecclesiae. — 31. Decretum circa celebrationem Missarum de Requie. — 32. Quando renovantur Stationes viae Crucis, sufficit nova benedictio. — 33. Decretum circa abstinentiae legem. — 34. Ministerial-Verordnung in Betreff des Austausches von Matrifenausgügen zwischen Oesterreich und Ungarn. — 35. Konkurzni razpis. — 36. Škofijska kronika.



30.

Venerabilibus fratribus patriarchis primatibus archiepiscopis episcopis aliisque locorum ordinariis pacem et communionem cum apostolica sede habentibus

LEO PP. XIII.

Venerabiles fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Satis cognitum vobis est, cogitationum et curarum Nostrarum partem non exiguum illuc esse conversam, ut ad *ovile* in potestate positum summi pastoris animarum Iesu Christi revocare devios conemur. Intento hac in re animo, non parum conducere salutari consilio propositoque arbitrati sumus, Ecclesiae effigiem ac velut lineamenta describi: in quibus praecipua consideratione dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne veritatis invictaeque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit. Multum in intuentium animis nativa Ecclesiae pulchritudo speciesque posse debet: neque abest a veri similitudine, tolli eius contemplatione posse inscientiam; sanari opiniones falsas praeiudicatasque, maxime apud eos, qui non sua ipsorum culpa in errore versentur: quin imo incitari etiam in hominibus posse Ecclesiae amorem utique similem caritati, qua Jesus Christus eam sibi sponsam, divino cruento redemptam optavit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea.*¹⁾ Reversuris ad amantissimam parentem, aut non probe cognitam

adhuc, aut iniuriā desertam, si redditum stare oporteat non sanguine quidem, quo tamen pretio est Iesu Christo quaesita, sed labore aliquo molestiaque multo ad perpetiendum leviore, saltem perspicuum erit non voluntate humana id onus homini, sed iusu nutuque divino impositum, ob eamque rem opitulante gratia caelesti, facile in se ipsi experientur ut veritatem intelligent divinae eius sententiae: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.*¹⁾ Quamobrem spe maxima in *Patre luminum* reposita, unde *omne datum optimum et omne donum perfectum descendit*²⁾, ab eo scilicet, *qui incrementum dat*³⁾ unus, enixe petimus, ut Nobis vim persuadendi impertire benigne velit.

Etsi Deus, quaecumque a naturis creatis efficiuntur, omnia ipse efficere sua solius virtute potest, nihilominus tamen ad iuvandos homines ipsis uti hominibus, ex benigno providentiae consilio, maluit: et quemadmodum in rerum genere naturalium perfectionem debitam, ita in iis, quae modum naturae transiliunt, sanctitatem homini ac salutem non nisi

¹⁾ Matth. 11, 30.

²⁾ Iac. 1, 17.

³⁾ 1 Cor. 3, 6.

hominum opera ministerioque impertire consuevit. Sed perspicuum est, nihil inter homines communicari, nisi per externas res quae sensibus percipientur, posse. Hac de caussa humanam naturam assumpsit Dei Filius, qui cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus¹⁾: atque ita, in terris agens, doctrinam suam suarumque praecepta legum hominibus, colloquendo, tradidit.

Cum divinum munus eius perenne ac perpetuum esse oporteret, idecirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes: cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, preecepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent: hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperazione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam. — Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita: quae quidem, si extremum illud quod vult, caussaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis*: si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu audituque signa: idque illi munus non aliter executi quam dictis factisque, quae utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*²⁾ Ac fides ipsa, scilicet assensio primae supremaeque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet: *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.*³⁾ Simili modo nihil est homini gratia cœlesti, quae gignit sanctitudinem, interius: sed externa sunt ordinaria ac praecipua participandæ instrumenta gratiae: sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nominatum lectis, certorum operitu, administrantur. Iussit Jesus Christus Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut

edocerent ac regerent: iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati obedienter subessent. Verum isthaec in christiana republica iurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne incohari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de causis Ecclesiam cum *corpus*, tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacrae litterae nominant: *Vos autem estis corpus Christi.*¹⁾ Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Jesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, appareat.

Ex quo consequitur, in magno eodemque perniciose errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latenter minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali praeditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiniani ac Nestoriani faciunt; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitae: sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria

¹⁾ Phil. 2, 6, 7.

²⁾ Rom. 10, 17.

³⁾ Ibid. v. 10.

¹⁾ 1 Cor. 12, 27.

ipsarum ratio ac natura efflorescit. Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeternitate temporum: ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennitatem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo spatio definitus: quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visibilium et invisibilium coniunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu' divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia. Quare Chrysostomus: *Ab Ecclesia ne abstineas: nihil enim fortius Ecclesia. Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia. Caelo excelsior et terra latior est illa. Numquam senescit, sed semper viget. Quamobrem eius firmitatem stabilitatemque demonstrans, Scriptura montem illam vocat.*¹⁾ Augustinus vero: *Putant (gentiles) religionem nominis christiani ad certum tempus in hoc saeculo victuram, et postea non futuram. Permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit; hoc est quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est Christi corpus in terris.*²⁾ Idemque alibi: *Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus? . . . Non nutante Christo, non inclinabitur in saeculum saeculi. Ubi sunt qui dicunt, periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?*³⁾

His velut fundamentis utendum veritatem quaerenti. Scilicet Ecclesiam instituit formavitque Christus Dominus: propterea natura illius cum quaeritur cuiusmodi sit, caput est nosse quid Christus voluerit quidque reapse efficerit. Ad hanc regulam exigenda maxime Ecclesiae unitas est, de qua visum est, communis utilitatis caussâ, non-nihil his litteris attingere.

Profecto unam esse Iesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento ac multiplici sacrarum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut contradicere christianus nemo ausit. Verum in dijudicanda statuendaque natura unitatis, multos varius error de via deflectit. Ecclesiae quidem non solum ortus sed tota constitutio ad rerum

voluntate libera effectarum pertinet genus: quo-circa ad id quod revera gestum est, iudicatio est omnis revocanda, exquirendumque non sane quo pacto una esse Ecclesia queat, sed quo unam esse is voluit, qui condidit.

Iamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam Iesus Christus non talem fixit formavitque, quae communitates plures complectentur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Ecclesiam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam . . . Ecclesiam in symbolo fidei profitemur. In unius naturae sortem cooptatur Ecclesia quae est una, quam conantur haereses in multas discindere. Et essentia ergo et opinione, et principio et excellentia unicam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam . . . Ceterum Ecclesiae quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile vel aequale.*¹⁾ Sane Iesus Christus de aedificio eiusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi unam, quam appellat suam: *aedificabo Ecclesiam meam.* Quaecumque, praeter hanc, cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita, Ecclesia Christi vera esse non potest. Quod eminet etiam magis, si divini auctoris propositum consideretur. Quid enim in condita condendave Ecclesia petuit, quid voluit Christus Dominus? Hoc scilicet: munus idem, idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*²⁾. *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.*³⁾ Iamvero Christi muneris est vindicare ab interitu ad salutem *quod perierat*, hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino hominum, nullo locorum temporumve discrimine, universum genus: venit *Filius hominis . . . ut salvetur mundus pes ipsum*⁴⁾. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.⁵⁾ Itaque partam per Iesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quae

¹⁾ Clemens Alexandrinus, Stromatum lib. VII, cap. 17.

²⁾ Io. 20, 21.

³⁾ Ibid. 17, 18.

⁴⁾ Ibid. 3, 17.

⁵⁾ Act. 4, 12.

¹⁾ Hom. De capto Eutropio n. 6.

²⁾ In Ps. 71, n. 8.

³⁾ Enarratio in Ps. 103, sermo 2, n. 5.

inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetas debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris, et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret.

Hoc ipsum de Ecclesia una, quotquot essent ubique et quovis tempore mortales complexura, vidi ac praesignificavit Isaias, cum, futura prospicienti, obiecta species montis est, celsitudinis exsuperantia conspicui, qui imaginem *Domus domini*, videlicet Ecclesiae, expressam gerebat: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium*¹⁾. Atqui *unus* iste mons est, in vertice montium locatus: *una* domus Domini, ad quam *omnes gentes* vivendi normam petiturae aliquando confluenter: *Et fluent ad eam omnes gentes . . . et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius*²⁾. Quem locum cum Optatus Milevitanus attigeret, *Scriptum est*, inquit, in Isaia propheta: *ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem. Non ergo in illo monte Sion Isaias aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem romanum caput tulit sub toto caelo . . . Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus, quae est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica*³⁾. Augustinus vero: *Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt . . . Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terrae: et de illo dicitur: paratus in cacumine montium*⁴⁾. Illud accedit, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput coniungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit: cui quidem naturali conglutinatione inhaeret naturale caput. Sieut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum, quod obtulit ad cruciatus et necem, ut liberationis humanae

pretium exsolveret, sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cuius ipsius operâ facit sanctitatis salutisque aeternae homines compotes: *Ipsum (Christum) dedit (Deus) caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*¹⁾. Dispersa membra atque seiuncta non possunt eodem cum capite, unum simul effectura corpus, cohaerere. Atqui Paulus, *Omnia autem, inquit, membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus*²⁾. Propterea corpus istud mysticum compactum ait esse et connexum. *Caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministracionis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membra*³⁾. Quamobrem dispersa a membris ceteris siqua membra vagantur, cum eodem atque unico capite conglomerata esse nequeunt: *Unus Deus est, et Christus unus, et una Ecclesia eius et fides una et plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari*⁴⁾. Quo melius Ecclesiam effingat unicam, similitudinem animati corporis informat, cuius non aliter victura membra sunt, nisi colligata cum capite, vim ad se vitalem ex capite ipso traducant: seiuncta, necesse est emori: *Non potest (Ecclesia) . . . divulsis laceratione visceribus in frustra discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit*⁵⁾. Mortuum vero corpus quid habet cum vivo similitudinis? *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius*⁶⁾. Aliud igitur simile Christo incoheretur caput, alias Christus, si praeter eam, quae corpus eius est, fingi Ecclesiam alteram libeat. *Videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes: numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat: praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit:*

¹⁾ Eph. 1, 22, 23.

²⁾ 1 Cor. 12, 12.

³⁾ Eph. 4, 15, 16.

⁴⁾ S. Cyprianus, De cath. Eccl. unitate n. 23.

⁵⁾ Ibidem.

⁶⁾ Eph. 5, 29, 30.

¹⁾ Is. 2, 2.

²⁾ Ibid. 2, 2, 3.

³⁾ De Schism. Donatist. lib. III, n. 2.

⁴⁾ In Epist. Ioan. tract. I, n. 13.

praecisus, haereticus factus est, membrum amputatum non sequitur spiritus.¹⁾ Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua: quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et praeescriptione Christi Domini, relichtoque salutis itinere, ad interitum digrediuntur. *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec pervenit ad Christi praemia qui reliquit Ecclesiam Christi . . . Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem.²⁾*

At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam*: videlicet eiusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae.³⁾* Voluntatem hac de re suam Iesus Christus sanxit, propinqua iam morte, augusteque consecravit, ita Patrem adprecatus: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me . . . ut et ipsi in nobis unum sint . . . ut sint consummati in unum.⁴⁾* Imo tam intime nexam iussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut coniunctionem cum Patre suam ratione aliqua imitaretur: *Rogo . . . ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te.⁵⁾* Tantae autem inter homines ac tam absolutae concordiae necessarium fundamentum est convenientia coniunctioque mentium: ex quo conspiratio voluntatum atque agendorum similitudo natura dignitur. Quamobrem, pro sui divinitate consilii, *unitatem fidei* in Ecclesia sua iussit esse: quae quidem virtus primum est in vinculis iis quae hominem iungunt Deo, et inde nomen *fideles* accepimus. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma⁶⁾*: videlicet sicut unus Dominus, et baptisma unum, ita omnium Christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet. Itaque Paulus Apostolus Christianos, ut idem sentiant omnes, effugiantque opinionum dissidia non rogat tantum, sed flagitat ac plane ob-

secrat: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.¹⁾* Quae loca sane non indigent interprete: satis enim per se loquuntur ipsa. Ceteroqui unam esse fidem debere, qui se profitentur Christianos, vulgo assentiuntur. Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere quae sit istius species et forma unitatis. Quod ipsum, ut supra fecimus in causa simili, non opinatione aut conjectura est, sed scientia rei gestae iudicandum: quaerendo scilicet statuendoque qualem in fide unitatem Iesus Christus esse paeceperit.

Iesu Christi doctrina caelestis, tametsi magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incideret atque inter se differentes interpretationes: idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinae, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur: hinc controversiae, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsa vident proxima originibus aetas. De haereticis illud scribit Irenaeus: *Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt.²⁾* Atque Augustinus: *Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene.³⁾* Ad coniugandas igitur mentes, ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum, ut ut extarent divinae litterae, omnino erat alio quodam *principio* opus. Id exigit divina sapientia: neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandae unitatis rationem quamdam idoneam providisset: quod et sacrae litterae perspicue, ut mox dicturi sumus, significant. Certe infinita Dei potentia nulli est vincta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo, dispicendum, quodnam ex omnibus, quae essent in po-

¹⁾ S. Augustinus, Sermo CCLXVII, n. 4.

²⁾ S. Cyprianus, De cath. Eccl. unitate n. 6.

³⁾ Eph. 4, 4.

⁴⁾ Io. 17, 20. 21. 23.

⁵⁾ Ibid. v. 21.

⁶⁾ Eph. 4, 5.

¹⁾ Cor. 1, 10.

²⁾ Lib. III, cap. 12, n. 12.

³⁾ In Evang. Ioan. tract. XVIII, cap. 5, n. 1.

testate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia.

Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Jesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat: erudire verbo multitudinem ad caelestia insistit, omninoque iubet ut sibi fides docenti adiungatur, hinc praemiis illinc poenis propositis sempiternis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.¹⁾ Si opera non fecissem in eis, quae nemo alias fecit, peccatum non haberent.²⁾ Si*

autem facio (opera), et si mihi non vultis credere, operibus credite.³⁾ Quaecumque praecipit, eadem omnia auctoritate praecipit: in exigendo mentis assensu nihil secernit. Eorum igitur qui Iesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam eius accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset: illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.

(Continuatio.)

¹⁾ Io. 10, 37.

²⁾ Ibid. 15, 24.

³⁾ Ibid. 10, 38.

31.

Decretum circa celebrationem Missarum de Requie.

Aucto postremis hisce temporibus, maxime in calendariis particularibus, officiorum duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impedianter, nonnulli ecclesiastici viri pietate, doctrina ac dignitate praestantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogaverunt, ut ad iuvamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum in Ecclesiis et Oratoriis sive publicis sive privatis, praesertim iis, quae in sepulcretis rite erecta sunt vel erigentur, Missae lectae de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica Benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem Sanctissimo Domino nostro huius negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere, quae, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis, in Ordinario Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato ad propositam per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum quaestionem respondendum censuit:

Si Sanctissimo placuerit: I. In quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo Missas, quae inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplice 1^o vel 2^o classis, a Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, neconon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis; item: II. quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis quum publicis tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus Missas privatas de Requie, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis: verum sub clausulis et conditionibus, quibus iuxta Rubricas et Decreta Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur exceptis duplicibus primae clasis et Festis de praecepto. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infra scriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habere et confirmare dignata est die 8 Junii eadem anno.

Caj. Card. Aloisi-Masella, S. R. C. Praef.

A. Tripepi, S. R. C. Secret.

32.

Quando renovantur Stationes Viae Crucis, sufficit nova benedictio.

Fr. Raphael ab Aureliaco Procurator Gen. Ordinis Minorum huic S. Indulgenteriarum Congregationi sequentia humiliter exposuit:

Pro legitima Stationum Viae Crucis erectione, S. Sedes plura sapienter constituit observanda sub poena nullitatis. Nam statuit „quod in erigendis huiusmodi Stationibus, tam Sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii vel Antistitis et Parochi, necnon Superiorum Ecclesiae, Monasterii, Hospitalis et Loci Pii, ubi ejusmodi erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia in scriptis, et non aliter expediri, et quandcumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae.“

Modo Orator petit a S. Congregatione solutionem dubii sequentis:

Utrum in casu, quo ob Crucium vetustatem vel ob aliam iustum causam renovari debeant Stationes Viae Crucis in eadem Ecclesia sive Oratorio, in quo rite cum omnibus documentis ut supra a S. Sede praescriptis erectae reperiebantur, praefata omnia et singula documenta denuo sive oretenus sive in scriptis postulanda sint, vel sufficiat tantummodo novarum Stationum benedictio a Sacerdote ad id legitime deputato?

S. Congregatio Indulgenteriarum Sacrisque Reliquis praeposita relato dubio respondit die 11. Jan. 1896:

Negative quoad 1am partem, quoad 2am sufficere tantummodo novarum Crucium benedictionem.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C. die et anno ut supra.

Andreas Card. Steinhuber, Praef.
Alexander Archiep. Nicop., S. R. C. Secret.

33.

Decretum s. Romanae et universalis inquisitionis.

Feria IV. die 5. Decembris 1894.

Cum recenter ad hanc Supremam Congregationem S. R. et U. Inquisitionis a pluribus Episcopis pervenerint petitiones, quarum omnium mens erat, abstinentiae legem, de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus aegre admodum ac difficileiter variis de causis posse servari et damno potius animarum quam saluti præbere occasionem, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. E. R. Cardinales contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Generales Inquisitores, in plenario comitio dictae feriae IV. die 5. Decembris 1894, re integre proposita ac mature perpensa, decreverunt ut infra, scilicet.

Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieunii et abstinentiae, quando festum sub utroque præcepto servandum Patroni principalis aut Titu-

laris, vel solempne aliquod festum item magno populum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieunio consecratis; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.

Habita autem per R. P. D. Adserorem S. O. relatione Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII, idem Sanctissimus Dominus præsens decretum ratum habuit et confirmavit ac omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem, de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione apostolicae dispensationis.

Ios. Mancini S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

34.

Verordnung der Ministerien des Innern und für Cultus und Unterricht vom 6. August 1896, Nr. 150,

betreffend den Austausch von Matrikenauszügen zwischen den im Reichsrath vertretenen Königreichen und Ländern einer- und den Ländern der ungarischen Krone — mit Ausnahme von Croatién und Slavonien — anderseits.

Behufs Durchführung des zwischen den betheiligten beiderseitigen Ministerien vereinbarten regelmäßigen Austausches von Matrikenauszügen, betreffend die in den im Reichsrath vertretenen Königreichen und Ländern, beziehungsweise in den Ländern der ungarischen Krone — mit Ausnahme von Croatién und Slavonien — vorkommenden Geburten, Trauungen und Todesfälle ungarischer, beziehungsweise österreichischer Staatsbürger wird verordnet, wie folgt:

§ 1.

Die mit der Matrikelführung betrauten Organe werden angewiesen, in vierteljährigen Zeitabschnitten, und zwar in der ersten Hälfte der Monate Jänner, April, Juli und October, hinsichtlich der in dem abgelaufenen Quartale vorgekommenen Geburten, Trauungen und Todesfälle ungarischer, in Ungarn (einschließlich der Stadt und des Bezirkes von Fiume) die Gemeindezuständigkeit besitzender Staatsbürger vorschriftsmäßige, mit der Unterschrift und dem Amtssiegel des Matrikelführers versehene Matrikenauszüge im Wege der politischen Behörde erster Instanz an die politischen Landesbehörden einzufinden.

Auf Geburten, Trauungen und Sterbefälle ungarischer, in Croatién oder Slavonien die Gemeindezuständigkeit besitzender Staatsbürger findet die gegenwärtige Verordnung keine Anwendung.

§ 2.

Die Matrikenauszüge sind in jener Sprache auszufertigen, in welcher die Matriken geführt werden; eine Beglaubigung der Unterschrift des Matrikelführers hat nicht zu erfolgen.

§ 3.

Die Matrikenauszüge haben alle wesentlichen Daten der Matriken genau zu enthalten; außerdem ist, insoweit die Matrikelführer auf Grund der Angaben der Parteien oder der vorgelegten Documente diesen Umstand in Erfahrung bringen können, in den Matrikenauszügen anmerkungsweise anzugeben, in welcher ungarischen Gemeinde der ungarische Staatsbürger die Gemeindezuständigkeit besitzt. Diese letztere Bestimmung hat jedoch nur hinsichtlich jener Matrikenauszüge Geltung, bei welchen es sich um Matrikeneintragungen handelt, welche nach dem Beginne der Wirksamkeit dieser Verordnung vorgenommen wurden.

§ 4.

Bezüglich der Eheschließungen, bei welchen beide Theile ungarische Staatsbürger sind, hat die Ausfertigung und Einsendung der Matrikenauszüge in duplo zu erfolgen.

§ 5.

Die erste im Monate October 1896 erfolgende Vorlage der im Sinne dieser Verordnung seitens der Matrikelführer auszufertigenden und einzufindenden Matrikenauszüge hat nicht nur die in dem eben abgelaufenen Quartale, sondern auch die vorher in der Zeit vom 1. October 1895 bis Ende Juni 1896 vorgekommenen Geburten, Trauungen und Todesfälle ungarischer Staatsbürger zu umfassen.

§ 6.

Die von den mit der Matrikelführung betrauten Organen einlangenden Matrikenauszüge sind von den politischen Landesbehörden zu sammeln und im Laufe der zweiten Hälfte der im § 1 benannten Monate an das k. k. Ministerium des Innern vorzulegen.

§ 7.

Wegen Ausfertigung der Matrikenauszüge, hinsichtlich der im Gebiete der Länder der ungarischen Krone — mit Ausnahme von Croatién und Slavonien — vorkommenden Geburten, Trauungen und Todesfälle österreichischer Staatsbürger hat das königlich ungarische Ministerium des Innern mit der Verordnung vom 30. März 1896, Z. 26.740, die erforderliche Weisung erlassen, und werden die bezüglichen Ausfertigungen seitens des genannten königlich ungarischen Ministeriums — und zwar gleichfalls vierteljährig — an das k. k. Ministerium des Innern geleitet werden.

§ 8.

Durch die Ausfertigung, beziehungsweise Entgegennahme der in Rede stehenden Matrikenauszüge kann weder der Entscheidung über die Staatsbürgerschaft und Zuständigkeit, noch über jene Fragen vorgegriffen werden, welche in Bezug auf die Gültigkeit einer Ehe sich ergeben können.

§ 9.

Diese Verordnung tritt am 1. September 1896 in Wirksamkeit.

Badeni m. p.

Gautsch m. p.

Diese Verordnung, welche bereits am 1. September 1896 in Wirksamkeit tritt, wird den Herren Matrikelführern mit der Weisung zur Kenntnis gebracht, die darin getroffenen Auordnungen gewissenhaft und pünktlich zur Ausführung zu bringen.

Die im § 7 der citirten Verordnung berufene, von der k. k. Landesregierung in Laibach mit Buschrift vom 20. August 1896, Nr. 12.700, anher in Uebersezung mitgetheilte Circular-Verordnung des königlich ungarischen Ministers des Innern an die ersten Beamten aller Municipien lautet also:

„Im Berfolge zu meiner Verordnung vom 18. December 1895, Z. 107.508, mittelst welcher ich die Frage des gegenseitigen Austausches der Matrikelauszüge mit dem Schweizer-Bundesstaate, Serbien, Italien, Frankreich und Belgien geregelt habe, verständige ich Sie, dass ich bezüglich des jeweiligen offiziellen gegenseitigen Austausches der Matrikelauszüge mit Oesterreich, Bosnien und der Hercegovina nunmehr mit dem Herrn k. k. österreichischen Minister des Innern, resp. Bosnien und die Hercegovina betreffend, mit dem Herrn k. u. k. gemeinsamen Finanz-Minister definitiv zum Einvernehmen gelangt bin.

Diesen Vereinbarungen gemäß bestimme ich mithin, dass der erste Beamte des Municipiums vierteljährig, d. h. in den auf je ein Jahresviertel folgenden Monaten April, Juli, October und Jänner, über die im abgeschlossenen Vierteljahr, auf die in Ungarn erfolgte Geburt, Ehe oder Ableben österreichischer Staatsbürger oder nach Bosnien und die Hercegovina zuständigen Individuen bezüglichen Matrikel-Eintragungen, von den staatlichen Matrikelführern ausgefertigte und mit dessen Amtssiegel versehene vorschriftsmäßige Matrikelauszüge mir vorzulegen habe.

Im April l. J. sind die Matrikelauszüge nicht nur über die im ersten Viertel des laufenden Jahres gemachten Eintragungen, sondern auch über die des vierten Viertels des Jahres 1895 vorzulegen.

Wenn zwei österreichische Staatsbürger mit einander eine Ehe schließen, so ist der Auszug aus der Chematrikel in duplo vorzulegen. Die Unterschrift und das Amtssiegel des Matrikelführers sind auf solchen Matrikelauszügen, welche sich

auf österreichische Staatsangehörige, oder auf, in Bosnien und in Hercegovina heimberechtigte Individuen beziehen, nicht zu legalisieren.

Der Herr k. k. österreichische Minister des Innern und der Herr k. u. k. gemeinsame Finanzminister werden hingegen die auf die in Oesterreich, resp. Bosnien und Hercegovina erfolgte Geburt, Ehe oder Todesfälle ungarischer Staatsbürger bezughabenden vorschriftsmäßigen Matrikelauszüge vierteljährig an mich leiten.

Diese Matrikelauszüge werde ich im Sinne der §§ 77 und 78. des G.-Art. XXXIII. vom Jahre 1894, der §§ 64 und 77 meiner Verordnung, Z. 60.000, vom Jahre 1895 und des § 88 der justizministerialen Verordnung, Z. 24.243, vom Jahre 1895, behufs Immatrikulierung seitens des competenten Matrikelführers in beglaubigter ungarischer Uebersetzung, dem ersten Beamten des betreffenden Municipiums zusenden.

Schließlich ordne ich an, dass bei allen, auf Ausländer Bezug habenden Matrikel-Eintragungen, mögen sich dieselben auf Geburts-, Ehe- oder Todesfälle beziehen, auf Grund der Aussagen oder vorgelegten Documente in der Rubrik „Bemerkung“ die Staatsangehörigkeit und die Gemeindezuständigkeit der Betreffenden von Fall zu Fall erwähnt werde.

Bezüglich österreichischer Staatsbürger ist außer der Staatsangehörigkeit und der Gemeindezuständigkeit auch dasjenige österreichische Kronland in Erwähnung zu bringen, in welchem die Zuständigkeitsgemeinde des österreichischen Staatsangehörigen liegt.

Es ist selbstverständlich, dass diese Regel nur auf die in Hinkunft zu erfolgenden Matrikel-Eintragungen in Anwendung kommt, und ist der Umstand, dass aus den bisherigen Matrikel-Eintragungen die Heimberechtigung und Gemeindezuständigkeit eines Ausländers nicht zu entnehmen sei, in der begleitenden Meldung zu erwähnen.“

35.

Konkurzni razpis.

Razpisane so sledeče župnije: Rateče v radovljiški dekaniji, Vranja Peč v kamniški dekaniji, Brusnice v novomeški dekaniji, Javor v šmarijski dekaniji, Horjul in Vrhnika v vrhniški dekaniji in Idrija v idrijski dekaniji.

Prošnje za prve štiri župnije je obrniti na visoko c. kr. deželno vlado v Ljubljani; one za fare Horjul in Vrhnika na visokočastiti knezoškofijski ordinariat v

Ljubljani in one za faro Idrijo na visoko c. kr. ministerstvo za kmetijstvo.

Razpisan je tudi baron Rauberjev beneficij pri stolni cerkvi ljubljanski. Prošnje so obrniti na preblagorodnega gospoda barona Julija Rauberja, c. in kr. kamornika in umirovljenega c. in kr. majorja v Budimpešti.

Zadnji rok za vlaganje je 30. september 1896.

36.

Škofijska kronika.

Kanonično vmeščena sta bila gospoda: Gustav Koller na faro Babno Polje in Gregor Jakelj na faro Sv. Jakob pri Savi.

Čast. gospod dr. Frančišek Perne, dosedanji namestni učitelj veronauka na c. kr. državni gimnaziji v Kranju, imenovan je rednim učiteljem veronauka na isti gimnaziji.

Od c. kr. veličanstva podelil se je duhovniku nemškega viteškega reda, dekanu in župnemu upravitelju v Semiču, gosp. Antonu Alešu zlati zasluzni križ s krono.

Čast. gosp. Anton Brodnik, kapelan v Šmartnu pri Kranju, se je za stalno umirovil.

Župniku v Horjulu, č. g. Frančišku Dolinarju, podlila se je fara Ribnica, župniku na Vrhni, č. g. Frančišku Kummerju fara Stara Loka, župniku v Brusnicah, č. g. Val. Bergantu, fara Mirna Peč in župniku v Ratečah, č. gosp. Vinc. Polaju, fara Reteče.

Premeščeni so č. gg. kapelani: Jožef Šolar iz Leskovca v Boštanju, dr. Jožef Gruden iz Mošenj v Šmartin pri Kranju, Anton Oblak iz Boštanja v Srednjo Vas v Boh., Janez Piber iz Srednje Vasi v Mošnje, Ludovik Schiffrer iz Naklega v Slavino, Janez Zabukovec iz Slavine v Naklo in Frančišek Žužek iz Trnovega v Preddvor.

Kot kapelani so novonastavljeni častiti gospodje: Valentin Remškar v Leskoveu, Jožef Plantarič v Čemšeniku, Martin Škerjanc v Trnovem na Notranjskem, Jožef Benkovič v Podbrezju, Anton Žnidaršič v Knežaku, Janez Gnidovec v Idriji in Jožef Gliebe v Fari pri Kostelu.

V knezoškofijsko duhovno semenišče so sprejeti naslednji gospodje: Barle Janez iz Šentjurja pri Kranju, Bartol Anton iz Ribnice, Čop Anton iz Breznice, Janc Peter iz Križov pri Tržiču, Kanc Pavel iz Št. Vida nad Ljubljano, Kolbezen Leopold iz Črnomlja, Kraker Josip iz Altag-a pri Kočevju, Kralj Frančišek iz Strug, Legat Evgen iz Zagorja na Notranjskem, Majdič Fr. iz Čemšenika, Ogrizek Jakob iz Slavine, Ocepek Josip iz Št. Lambert, Plahutnik Janez iz Trnovega (Ljubljana), Rebol Frančišek iz Preddvora, Skubic Anton z Lipoglavega, Sušnik Matej s Trate, Sever Josip iz Škofje Loke, Terškan Štefan iz Sostrega, Zabret Valentin iz Predosej, Zorko Frančišek iz Cerkelj na Dolenjskem.

V knezoškofijsko deško semenišče Alojzijevič so za l. 1896/97 sprejeti naslednji stari gojenci: Cuderman Josip s Trstenika, Gabršek Frančišek s Holmca, Juvan Ivan iz Šmartna pod Šmarno goro, Kalan Jakob iz Dobrave pri Kropi, Kogovšek Mihael iz Št. Vida nad Ljubljano, Lah Lovro iz Komende, Lombar Anton s Trstenika, Mencej Josip z Iga, Miklavčič Ivan iz Škofje Loke, Razboršek Jakob iz Čemšenika, Sever Frančišek iz Škofje Loke, Zaplotnik Ignacij iz Gorič, Röthel Jurij od Stare Cerkve, Grivec Frančišek iz Ajdoveca, Kimovec Frančišek iz Cerkelj, Klemenc Ivan iz Slavine. Prijatelj Ivan ml. iz Dobrépolja, Prijatelj Ivan st. iz Sodažice, Voljč Jakop z Vrhniko, Volk Matija iz Ovsiša, Vrhovec Frančišek z Brezovice, Ahačič Matej iz Tržiča, Logar Jožef iz Metlike, Pečarič Martin iz Metlike, Pirc Jožef iz Velesovega, Štular Martin iz Metlike, Vovko Frančišek iz Škocijana pri Dobravi, Jeglič Ivan iz Podbrezja, Kostelec Martin iz Metlike, Perko Ivan iz Poljan, Podbevšek Jernej iz Vranjepeči, Sojar Anton iz Spodnje Šiške, Sušnik Anton iz Mekin, Šarabon Vincencij iz Tržiča, Žnidaršič Anton iz Dobrépolja, Bukovnik Janez iz Ljubljane, Dolinar Jožef z Cerkelj, Hacin Jožef iz Cerkelj, Kralj Alojzij iz Višnje gore, Novak Alojzij iz Trnovega pri Ilirski Bistrici, Peterlin Viktor iz Ribnice, Prijatelj Vladimir iz Novega mesta, Sever Maksimilijan iz Loškega potoka, Štrubelj Janez s Police, Turk Anton od sv. Vida pri Cerknici. — Na novo so sprejeti: Podlipnik Josip iz Boštanja, Klopčič Luka iz Radoljice, Kreč Janez iz Dola, Pogačnik Lovro iz Kamne gorice, Konda Jakob iz Semiča, Kurent Alojzij iz Višnje gore, Princ Mihael iz Kamne gorice, Ažman Ciril iz Št. Jurija pod Kumom, Ciber Jakob z Iga, Dolenc Matej iz Postojne, Jerè Frančišek z Lipoglavega, Kogovšek Ivan iz Št. Vida nad Ljubljano, Urbas Janez z Blok, Volk Jožef iz Trnovega pri Ilirski Bistrici.

Umrli so č. gospodje: Peter Berčič, umirovljeni župni upravitelj, v Ljubljani, 23. julija; Jožef Nakus, umirovljeni kurat v Vipavi, 13. avgusta in Jožef Kogej, dekan in župnik v Idriji, 25. avgusta.

Priporočajo se v molitev častiti duhovščini.

Knezoškofijski ordinariat ljubljanski dné 15. avgusta 1896.